DE

CHORO ARISTOPHANIS

QUAESTIONES SCAENICAE

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ALBERTINA RITE CAPESSENDOS

DIE XI MENSIS NOVEMBRIS ANNI CIƆIƆCCCLXVIII

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

RICHARDUS ARNOLDT

GUMBINNENSIS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

ARTHURIUS GRONAU SEM. PHIL. SOD.

AEMILIUS BROCKS SEM. PHIL. SOD.

REGIMONTI PR.

TYPIS HARTUNGIANIS

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

SACRUM

Caput primum.

De cantu choreutarum deinceps singulorum in Vespis.

I.

De singulorum choreutarum apud Aristophanem usu et inveniendo et definiendo.

Ex quo G. Hermannus Bambergerus alii carmina Aeschylea inter partes chori distribuerunt, spes erat fore ut etiam ceteros Graecorum poetas scaenicos eodem consilio eadem ratione perquirerent viri docti. Atque Comicum quidem tragicorum morem imitatum esse et singulas chori personas separatim loquentes canentesve induxisse in scaenam luculento exemplo quoniam ipse huius quaestionis praeclarus inventor[1]) declarare studuit: quamquam in singulis quibusdam rebus fortasse erratum erat a viro summo, tamen ex parte iam via et lex videbatur monstrata esse, quam sequerentur qui posthac essent de choro apud Aristophanem scripturi. Atqui non extitit qui rem incohatam exciperet ac promoveret. Immo nostrates aut plane ignorare videntur Hermanni illam de choro Vesparum doctrinam, aut qui eam norunt brevibus verbis se non probare dixerunt. In hoc altero numero novissimus huius fabulae editor est Richterus Berolinensis, qui cum Hermannianam distributionem ex difficultate vel errore quodam laborare recte intellegeret, non tamen iccirco totam

[1]) G. Hermannus de choro Vesparum Aristophanis in programmate academico Lipsiensi a. 1843.

distribuendi propositam legem repudiare debebat, minime vero eo quo id fecit modo, nimirum verbis argumentis nullis. Nisi forte argumentum esse credis, cum unius choreutae vocem Atheniensibus non acceptam fuisse dicit, aut in Avium parodo eam ob causam omnes uno ore choreutas cecinisse contendit, quod haec sit natura avium et consuetudo (Proleg. p. 65. 66). Talia taedet pluribus refellere.

Vesparum locus, ad quem Hermanni observatio spectat, parodus est et quod sequitur episodium (siquidem his vocabulis in comoedia uti licet), nempe ea fabulae pars, qua cum in Vespis tum in aliis comoediis chorus maxime implicatur actione et tamquam actorum partes subit. Etenim hoc potissimum loco chorus Acharnensium (204—346) Equitum (247—497) Vesparum (230—487) Avium (310—450) certat ac rixatur cum actoribus, secum ipse in Lysistrata (254—386), contra strenue opitulatur actoribus in Pace (301—519). Verum in reliquis harum fabularum partibus et sedatior chori est animus et rariores atque longioribus diverbiorum intervallis seiunctae eius interlocutiones. Haec ipsa res opinor Richterum dubium reddere debebat, cum Hermanni sententiam relinquere incaute animum induxit, si Bambergeri[2]) verba in memoriam sibi revocasset verissima illa *quo maior autem chori ad actionem usus, eo saepius carminum a partibus chori cantatorum locum fuisse consentaneum est.* Assueverunt tamen iam dudum homines docti aliter atque Hermannus duplicem fere in modum de re proposita statuere. Alteri ut Richterus ipse ubique vel in commis atque episodiis, ubi chorus cum actoribus alterno cantu colloquitur, universi chori voces auditas esse contendunt, alteri choragum certe a choreutis secernunt, quod quidem faciunt praeter alios duum-

---

[2]) De carminibus Aeschyleis a partibus chori cantatis in Bambergeri opusc. a Schneidewino collectis p. 2.

viri rei metricae [3]) et qui Aristophanem germanice reddidere. Chorum igitur quae canenda, choragum quae recitanda sunt suscipere plerumque iubent. Et dubium non est quin longe probabilior haec ratio esse videatur quam prior illa Richteri. Nam chori ducem si cum singulis actoribus colloquentem facimus, evitamus quod fit secundum Richteri opinionem, scilicet ne unus actor cum viginti quattuor choreutis simul vociferantibus multos per vs. confabuletur, qua quidem re simplicitas atque aequabilitas, quam summam in arte Graecorum legem fuisse scimus, tolleretur omnis (Cf. hac de re Bamberg. l. l. p. 4). Est tamen propter quod in ista Rossbachii aliorumque sententia acquiescere non possum. Eam enim si sequimur, tam multa uni chorago tribuere cogimur, vix ut intellegamus quid opus fuerit choro viginti quattuor personarum. Ita fit ut apud Rossbachium l. l. choragus Vesp. vs. 230—271 prope totum parodum solus recitet, choreutae taceant omnes. Quin etiam in tumultuosissimis illis fabularum locis unus chori dux altercatur cum personis in scaena versantibus et totius chori vice fungitur, chorus ipse adstat otiosus nihil loquens nihil agens. Quas difficultates facile effugiemus, cum singulorum choreutarum usum Aristophani concesserimus. Quo concesso et singulae chori personae colloquentur cum actoribus singulis et adhibebuntur totius chori vires.

Accedit quod hanc sententiam adiuvant ac tuentur ipsa poetae verba. Nam quae apud Aeschylum ex argumento et nexu sententiarum repetuntur indicia, quibus partes chori cecinisse comprobetur, eadem in eis comoediarum partibus, quas supra numeris appositis notavi, satis frequenter nobis occurrunt. Compellationes illas dico, quibus unus choreuta ceteros nominatim saepe apellatos evocat et adhortatur in

---

[3]) Rossbach. et Westphal. metr. art. vol. III. p. 199. 203.

parodo, interrogationes ad quas non possunt eidem respondere qui modo interrogabant, earundem sententiarum crebras iterationes aut eisdem aut similibus verbis factas, quas mutatae personae signum esse constat. Adde quod saepenumero sententiae parum apte cohaerent inter se, sed praefracte pronuntiantur ita ut transitus fiat ab altera ad alteram toto coelo distantem subito neque ulla facta coniunctione. Ita Aristophanem non facturum fuisse arbitror, nisi, cum carmina illa scriberet, in docendis agendisque fabulis alia carminum commata aliis chori personis dare in animo habuisset. Namque non fecit eadem poeta eis in carminibus, quae aut totum chorum aut hemichoros suscepisse consentaneum est, velut in Thesmophoriazusarum et Nubium parodo, ubi nihil earum rerum quas dixi invenimus.

Quae cum ita sint mirari satis non queo, quod nemo adhuc et ne in Vesparum quidem fabula Hermannus haec indicia ex ipsorum carminum argumento petenda in unum locum contulerit diligenterque examinaverit, praesertim cum maxime sint ante oculos posita et quod caput est fere sola, quibus non universi chori concentum auditum esse lucide possumus demonstrare. Nam quae sunt cetera eius rei testimonia, apud Aristophanem multo rarius inveniuntur quam apud tragicos imprimis Aeschylum. Et carminum conformatio strophica in comoediis longe simplicior est quam in tragoediis ideoque rariora mutatarum personarum documenta [4]) praebet, et numeros [5]) quod attinet, testimonio certissimo quo in

---

[4]) Horum quae attulisse refert suis locis commemorabimus, cum in pertractanda fabula eo pervenerimus. Sunt autem praecipue proodorum mesodorum epodorum usus et metri rhythmique mutatio mediis in carminibus admissa, hiatus denique et syllaba anceps.

[5]) Etiam de numeris, qui cantum non ad universos choreutas pertinuisse indicium faciunt, ad singulos fabulae vs. monebimus ubi ad rem erit. Sunt autem systemata quae dicuntur ἐξ ὁμοίων velut anapaestica, quae semper a singulis recitata esse constat. V. Herm. El. d. m. p. 729, al.

fabulis Aeschyleis saepissime uti licuit, tantum non prorsus apud Comicum destituti sumus. Versuum enim dochmiacorum, quos propter commotionem et inconcinnitatem tantam numquam a toto choro cantatos esse certum est, [6]) quam sit rarus in comoedia usus ex hoc conspectu facile intellegitur, quo ei loci continentur omnes quibus chorus in Aristophanis XI fabulis hoc metro utitur: Ach. vs. 358—363 = 385—390. 490. 491. 566 - 571, Vesp. vs. 730. 733. 736. 873, Av. vs. 310. 315. 631. 634. 853 = 897. 1188—1195 = 1262—1268, Thesm. vs. 676. 684. 700. 715. 716. 725, Pl. vs. 637. 639. 640. Itaque metrum dochmiacum cum in disiectis tantummodo versibus aliisque numeris intermixtum admittatur, si a perpaucis locis discesseris, unius choreutae vocem adhiberi ipsum per se evincere in fabulis Aristophaneis non poterit.

Jam vero in libris manuscr. Aristophanis hemichoria tantum notis appictis significata sunt, non secus atque in tragicorum codicibus a librariis factum est. Hanc *HMIXOP.* significationem vel eis carminibus praefigere solent, ad quae canenda loquendave alias chori partes atque hemichoros adhibitas esse apud doctos constat. Ita — ut hoc utar exemplo — Ran. vs. 354—371 libri dant hemichoro, quos quidem vs. choragum recitasse certissimum est. Idem plerumque faciunt scholiastae. Verumtamen scholiorum pauca quaedam ita comparata sunt paene ut persuadere videri possint, quod revera crediderunt virorum doctorum aliquot, [7]) nimirum iam veteres istos grammaticos singulorum choreutarum cantum hic illic annotasse. Huiuscemodi scholium est quod legitur ad Vesp. vs. 230 *οἱ τοῦ χοροῦ δὲ ἀλλήλοις ἐγκελευόμενοι τὴν πάροδον ποιοῦνται* et ib. ad vs. 266 *μὴ ἑωρακότες* (choreutae)

---

[6]) Cf. Bamberg. p. 3 et quae ib. sub calce citat Hermann. Seidler. Boeckh. testimonia.

[7]) Postremo quod sciam Hornungus in diss. inaug. Berolin. de partibus comoediarum Graec. a. 1861 p. 11 et 16.

αὐτὸν (Philocleonem) *μεθ' ἑαυτῶν διαλέγονται περὶ αὐτοῦ* ib. ad vs. 270 *στάντες οἱ τοῦ χοροῦ τὸ στάσιμον ᾄδουσι μέλος* et ad Av. vs. 344 *παρακελεύονται ἑαυτοῖς ὡς ἐν πολεμικῇ παρατάξει, βουλόμενοι κατ' αὐτῶν ὁρμῆσαι.* In his verbis primum memoratu dignum videtur esse illud *οἱ τοῦ χοροῦ*, quo cum his potissimum locis, quibus singulas chori personas usuvenisse verisimile est, utantur scholiographi, posses conicere eos consulto quotidianum *ὁ χορός* vitasse ita ut rariore illa et significantiore locutione *οἱ τοῦ χοροῦ* singulos choreutas denotarent. Quae coniectura admodum probabilis videri posset propter scholium ad Vesp. vs. 401

ὦ Σμικυθίων καὶ Τισιάδη καὶ Χρήμων καὶ Φερέδειπνε

quibus verbis Philocleo quattuor chori personas invocat; scholiasta igitur: *τοὺς τοῦ χοροῦ ἐξ ὀνόματος καλεῖ.* Attamen ne sic coniciamus duobus Nubium scholiis vetamur ad vs. 289 *ἵνα γυναῖκας εἰσαγάγῃ τὰς* [scr. *τοὺς*] *τοῦ χοροῦ* et ad vs. 344 *εἰσεληλύθασι γὰρ οἱ τοῦ χοροῦ προσωπεῖα περικείμενοι μεγάλας ἔχοντα ῥῖνας*, quibus certe locis de partibus chori nullo modo cogitari potest. Nam omnes choreutae repraesentant mulieres omnesque gestant nasos longos. Itaque planum fit, scholiastas nullum omnino discrimen fecisse inter vocabula *ὁ χορός* et *οἱ τοῦ χοροῦ*.

Etiam quibus veteres interpretes utuntur verbis *ἀλλήλοις παρακελεύονται* et quae sunt similia tantum abest ut singulos choreutas invicem se adhortantes designent, ut eadem illa verba usurpent, ubi chorum concinuisse diserti contendunt. Quod cum ex aliis m. tum optime ex duobus Ran. schol. discimus ad vs. 440, quem et vs. sq. choragum loqui hodie nemo dubitat, scholiasta vero toti choro vindicat et vindicat his verbis: *δύνανται πάντες οἱ κατὰ τὸν χορὸν ἀλλήλοις παρακελεύεσθαι, καὶ μὴ εἰς ἀμοιβαῖα διαιρεῖσθαι*, et ib. paulo ante ad vs. 372 *ἐντεῦθεν Ἀρίσταρχος ὑπενόησε*

μὴ ὅλου τοῦ χοροῦ εἶναι τὰ πρῶτα. τοῦτο δὲ οὐκ ἀξιόπιστον. πολλάκις γὰρ ἀλλήλοις οὕτω παρακελεύονται οἱ περὶ τὸν χορόν.' Ceterum — ut haec quoque commemorem — verbis modo laudatis docemur etiam primum nihil inter se differre schol. illud *οἱ κατὰ τὸν χορόν* sive *οἱ περὶ τὸν χορόν* et usitatius *ὁ χορός*, deinde vel de hemichororum usu (nam vs. 372 hemichorus incipit canere) scholiastas interdum dubitavisse, repugnantes sane Aristarchi praecepto et auctoritati (cf. schol. Ran. 354[8]).

Itaque sic statuendum est, nihil scholiorum scriptoribus compertum fuisse de singulorum choreutarum recitatione cantuve, neque ex eis ullum testimonium nedum auxilium hac in re posse elici. Relinquitur solus Aristophanes ipse, ad cuius verba nunc iam accedamus tractanda.

II.

In commata sua discribitur carmen Vesparum vs. 230—487.

Indicia, e quibus chorum non universum verba fecisse intellegitur, in illa quam diximus Vesparum parte (230—487) fere haec sunt.

I. Cohortationes, quibus choreutae se impellunt ad progrediendum, intra paucorum vs. spatium tam saepe repetuntur, ut non possint omnes ab eisdem personis profectae esse, neque a toto choro unius instar personae neque a solo chorago. Cf. enim vs. 230 *χώρει, πρόβαινε* vs. 235 *πάρεστε* vs. 240

[8]) Fritzsch. in ed. Ran. ad h. vs. haec tria Ran. schol. ad alios vs. refert quam quibus ascripta sunt, sc. schol. 354 ad vs. 372, 372 ad vs. 377, 440 ad vs. 372, probatus hac in re O. Gerhardo de Aristarcho Ar. interpr. Bonn. 1850. p. 45. Ceterum h. schol. ut ad rem metricam spectantia fere omnia Heliodoro ascribit Otto Schneider. de vet. in Ar. schol. fontibus p. 121.

ἀλλ' ἐγκονῶμεν ὤνδρες vs. 245 *ἀλλὰ σπεύδωμεν, ὤνδρες ἥλικες* vs. 246 *χωρῶμεν.* — Alia cohortatio vel interrogatio repetita legitur paullo post vs. 266 sq. et vs. 273.

II. Alloquitur nonnumquam alius alium ipso nomine sodalem appellans; quod minime aptum foret, nisi singuli cantu se exciperent choreutae. An omnes itaque eos etiam ipsos, quibus illa nomina sunt Comias Charinades Strymodorus alia, ita locutos esse credemus ut legimus vs. 230 sqq.

ὦ Κωμία, βραδύνεις;
μὰ τὸν Δί', οὐ μέντοι πρὸ τοῦ γ', ἀλλ' ἦσθ' ἱμὰς κύνειος.
νυνὶ δὲ κρείττων ἐστὶ σοῦ Χαρινάδης βαδίζειν.
ὦ Στρυμόδωρε Κονθυλεῦ, βέλτιστε συνδικαστῶν,
Εὐεργίδης ἆρ' ἐστί που 'νταῦθ', ἢ Χάβης ὁ Φλυεύς;

Quis quaeso sibi persuadeat, Chabetem illum verbi causa se ipsum tamquam aliam personam interrogavisse quod quidem interrogat secundum sententiam Richteri (p. 65): estne hic forte Chabes Phlyensis? Quin immo fuit (Hamaker. in Mnemos. vol. III p. 43 sq.) qui, hanc chori interrogationem quo pacto explicaret nesciens, vitandam eam censuit scribendo

334 *Εὐεργίδης γάρ ἐστί που 'νταυθὶ Χάβης θ' ὁ Φλυεύς,*
335 *πάρεσθ', ὃ δὴ λοιπόν γ' ἔτ' ἐστίν*, cet.

Sed prorsus inutilis coniectura, modo vs. 233, 234 choreutarum unum interrogavisse alterum vs. 235 sqq. respondisse interroganti sumamus.

III. Duali numero utitur choreuta aliquis, dum semet ipsum atque socium proxime stantem alloquitur vs. 236 sqq.

ἡνίκ' ἐν Βυζαντίῳ ξυνῆμεν
φρουροῦντ' ἐγώ τε καὶ σύ· κᾆτα περιπατοῦντε νύκτωρ
τῆς ἀρτοπώλιδος λαθόντ' ἐκλέψαμεν τὸν ὅλμον

unde facile apparet opinor, hoc certe loco colloquium non ad omnes sed ad duas chori personas pertinuisse. Huc referendum est etiam illud *νῷν* in colloquio senum et puerorum bis a pueris vs. 307 et vs. 316 semel a sene vs. 310 usurpatum,

ex quo singulos illo loco cecinisse pro certo colligas. Quod νῷν quomodo optime se habeat, ut Richterus quidem contendit (p. 55. 77. 222 ad vs. 313), si non singulos cum singulis sed omnes pueros cum senibus omnibus cantum alternantes faciamus equidem non intellego. Immo ne explicare quidem possum qui fieri queat ut tanta personarum turba numero duali a poeta comprehendatur. Ita tamen cum statuat Richterus non est dubium quin tacite consentiat cum Veneti scholiasta ad vs. 307 in hunc modum interpretante τῷ δυϊκῷ ἐχρήσατο οὐ κακῶς· παῖδες γάρ εἰσι καὶ πατέρες ὡς ἓν πρόσωπον πρὸς ἕν, quae interpretatio quam sit mira non est quod longius exponam. Verumtamen in numero tantum erravit scholiasta, id verissime intellexit, vocula νῷν puerum et senem significari colloquentes, non quod vult Hermannus (p. 9 sq.) pueros duos. Hermannus enim senum illorum qui chorum repraesentant unum duos habere filios ratus, vocabulo νῷν ubi puer utitur, hunc et fratrem eius a poeta denotari putat, ubi vero senex utitur vs. 310 νῷν in σφῷν mutare coactus est, ut senex filios suos recte alloquatur. Quae Hermanni sententia, ut est nimis artificiosa, iure merito ab omnibus editoribus neglegitur. Illud solummodo retineamus, duali isto νῷν duas personas significari puerum et senem aut senem et puerum prout puer aut senex loquitur; aliter enim si interpretamur, verendum est ne ludamus in apertissimis poetae verbis definiendis, quod profecto fecit Richterus.

IV. Saepe chori verba omni inter se nexu carent, ita ut sententiam excipiat altera a praecedente prorsus diversa, neque tamen quodammodo certe conciliata et coniuncta cum priore sed abrupte posita. Hinc elucet illis locis orationem ad alias personas transisse. Sunt autem sententiae nexu destituti vs. 239 et 240, 258 et 259, 265 et 266, 345 et 346, 378 et 379, 407 et 408. Etiam in parte antistrophica 273—280 = 281—289 eodem strophae atque antistrophae

loco sententia mutatur vs. 278 ἦ μὴν πολύ κτλ. = vs. 286 ἀλλ', ὦγαθε κτλ. Quae sententiae mutatio eademque personae maxime quidem manifesta fit in antistropha. Nam cum chorus usque ad vs. 286 de Philocleone ut de absente locutus sit, subito quasi sit praesens eum exhortatur secundi verbi persona utens

ἀλλ', ὦγάθ', ἀνίστασο μηδ' οὕτως σεαυτὸν
ἔσθιε, μηδ' ἀγανάκτει. κτλ.

Ita fit ut in quattuor illis quae hac sententiarum diversitate efficiuntur partibus responsio quaedam et confirmatio conspiciatur sententiarum, quam quae sibi metro respondent str. et antistr. singula commata continent: 273—277 = 281—285 et 278—280 = 286—289. Etenim in priore str. et antistr. parte variae causae a choro proferuntur, cur Philocleo non adsit, verum in altera quaque parte chorus in spem inclinat, Philocleonem quanta sit iudicandi cupiditate nihilominus affore. Quae earundem sententiarum et repetitiones et discrepantiae diversárum dubitari nequit quin mutata chori persona explicandae sint. Ceterum etiam quae antistrophae addita strophaeque addenda sunt verba ad pueros facta ὕπαγ', ὦ παῖ, ὕπαγε aliam sibi personam requirunt, cum parum cum verbis praecedentibus cohaereant.

Quae cum sit huius carminis conformatio, admodum dubito num id Hermannus inter choreutas recte distribuerit, quippe qui non duas vel tres partes in stropha quaque agnoverit easque parem in str. atque antistr. versuum numerum habentes, sed quattuor partes amplitudine sibi non respondentes ex singulis strophis effinxerit; qua de re infra videbimus. Hoc loco aliud commemorem quod velim observes. Nam omnes fere vs., quibus alios choreutas cantu se excepisse ex nexu turbato demonstrare studui, ordiuntur particula adhortativa ἀλλά sc. vs. 240. 259. 286. 346. 379. 408. Verum haec potissimum particula loqui est incipientium. Id optime ex eis

fabularum locis intellegitur, quibus a choro ad choragum cantum aut recitationem transisse apud doctos[9]) constat. Orditur igitur choragus loqui Vesp. vs. 546 ἀλλ' ὦ Nub. vs. 959 ἀλλ' ὦ 1351 ἀλλ' ἐξ ὅτου Pac. vs. 601 ἀλλὰ ποῦ Lys. vs. 484 ἀλλ' ἀνερώτα = 549 ἀλλ' ὦ Thesm. vs. 531 ἀλλ' οὐ 686 ἀλλ' ἔοιχ' ἡμῖν 726 ἀλλὰ τάσδε Ran. vs. 905 ἀλλ' ὡς = 1004 ἀλλ' ὦ Eccles. vs. 581 ἀλλ' οὐ μέλλειν — et ubique orditur illo ἀλλά utens.

V. Ubi autem choreutae non secum invicem sed cum actoribus collocuntur inde a verbis Philocleonis vs. 317 sqq., nullus prope cernitur sententiarum progressus sed iterum atque iterum a choro eadem repetuntur dicta. Sic chorus Philocleonem ad effugiendum evocat vs. 346 et, tempore satis longo praeterlapso, idem facit vs. 365; ut nihil metuat sed forti sit animo eundem monet chorus vs. 373. 380. 384. 387. Jam vero cum choreutae deinde cum Bdelycleone altercantur, duae sunt sententiae, quas filio crudeli obicere non desistunt, altera: tyrannus es qui tam atrociter in patrem saevias! vs. 411. 417. 464. 474. 487 cf. vs. 443 (πρὸς βίαν), altera: mitte patrem sin minus malum patiere! vs. 422. 428. 437. 453. 480.

Tot et tantae earundem sententiarum repetitiones testantur clarissime, systemata singula alios cantores habuisse.

VI. In eadem hac parte ter Vespae se impellunt, ut aculeis utantur vs. 403 sq. 405. 422, ultimo loco his verbis

ἀλλ' ἅπας ἐπίστρεφε
δεῦρο κἀξείρας τὸ κέντρον εἶτ' ἐπ' αὐτὸν ἵεσο.

Istud ἅπας, si omnes uno ore loquerentur choreutae, quam mirum foret quis est quin videat?

VII. Restat ut dicatur de numeris. Jonicis a minore,

---

[9]) V. Fritzschium ad Ran. vs. 905 annotantem *talia ubique recitat coryphaeus chori.* Cf. Westphal. III. p. 89.

qui vs. ubique a partibus chori canuntur (v. Bamberg. p. 9), compositum est carmen 291—316, qua re confirmatur quod singulos senes cum pueris singulis illo loco invicem cantavisse dicebamus. Etiam quod duobus locis metrum trochaicum subito excipit anapaesticus rhythmus comprobari videtur quod quidem iam ex argumento conclusimus, nimirum vs. 346 et 379 alias personas induci loquentes. Neque indignus notatu videtur esse hiatus vs. 277: 278 et vs. 407: 408 = 465: 466 admissus.

His puto rationibus gravissimis et fortasse etiam aliis adductus G. Hermannus omnes viginti quattuor choreutas singillatim loquentes facere eisque systemata singula tribuere suo iure constituit. Verumtamen in perficienda hac re a sententia quadam minus probabili vir cl. est profectus, quam qui considerarunt non sine causa reiecerunt omnes; quae quidem simul causa videtur fuisse, cur deinde totum Hermanni conatum homines docti in dubitationem vocarent. De illa Hermanni sententia opus est ut dicamus paullo explicatius.

Chorum comitantur pueri aliquot praelucentes, qui vs. 408 sqq. ad Cleonem [10]) arcessendum a senibus iratis ablegantur. Eosdem postea sub finem fabulae vs. 1501 sqq. in Carcini filiolos transformatos prodisse saltatum primus Beerius (Zahl der Schauspieler p. 49 sq.) ingenii acumine intellexit. Hos igitur pueros, qui vulgo choreutae extraordinarii habentur, in iustorum choreutarum numerum recipere Hermannus animum induxit. At huic opinioni, quam bis (de chor. Vesp. p. 4 et in annal. Vindobon. vol. 110 p. 58 sq.) acriter defendit vir doctissimus, plura adversantur ac repugnant. Pri-

[10]) Etiam Ran. vs. 577 sq. caupona quaedam ad Cleonem abit conquestum. Itaque apparet id nihil esse nisi consuetum poetae artificium quo quibus personis diutius uti non potest eas removeat a scaena.

mum ne Hermannus quidem ullum exemplum attulit neque potuit afferre, quo chorum umquam per totam paene fabulam ita mutilatum adstitisse comprobaret; sed satis habuit affirmare tali chori deminutione nihil quod offendat contineri. Id autem nullo modo posse concedi Richterus (q. 51 sqq.) quoque monuit. Deinde gravissimae difficultates, Hermannum si sequimur, ex dispositione chori nobis oriuntur et obstant. Cum enim secundum Hermanni discriptionem choreuta septimus, decimus, vicesimus alter, vicesimus tertius pueri munere fungatur, sive *κατὰ ζυγά* sive *κατὰ στοίχους* chorum dispositum fuisse arbitreris, pueros non solum per singulos ordines dispersos, verum etiam excepto uno omnes mediis in ordinibus collocatos incessisse statuas necesse est. Mira sane haec esset puerorum, quorum officium est ut praeluceant sequentibus, distributio tum incondita et ab omni dispositionis aequalitate abhorrens. Jam vero post puerorum discessum, qui nisi turbarentur ordines effici non poterat, utrum hic illic discedentium loci remanserunt vacui, [11]) an aliam formam assumpsit chorus? Quorum licet neutrum ullam veritatis speciem habeat, tamen alterum mea quidem opinione paullo minus praebet offensionis. Quare etiam Hermannus ad hanc alteram sententiam sese applicuisse videtur, cum pueros, qui quot fuerint ambigitur, quattuor non tres numero fuisse propterea dicat ne dimissis tribus pueris qui in orchestra relinquerentur unus et viginti choreutae insolitam chori quadrati formam praeberent neve perturbarent iustam personarum discriptionem. At enim haudquaquam quattuor fuerunt pueri ut vulgo putant, sed tres. Id certissimis testimoniis evinci potest. Tria enim reperiuntur puerorum dicta in ea parte, quae ex XXV iamb. Tetram. syncop. catal.

[11]) Tale quid Herm. admisit in constituendo matrum choro in Eurip. Suppl., iure non probatus Axtio in programmate Cliviensi a. 1826.

composita est 248—272,[12]) totidem eorundem dicta leguntur in stropha 291 — 303, totidem in antistropha 304—316. Quod quidem casui non tribuendum sed ita videtur explicandum esse, ut omnes qui affuerint tres pueros tribus illis locis deinceps interlocutos esse sumamus. Postremo quod est gravissimum argumentum, non quattuor sed tres Carcinitae scaenam intrant saltantes sc. primus vs. 1501 (*υἱὸς Καρκίνου ὁ μέσατος*), alter vs. 1505 (*ἕτερος τραγῳδὸς Καρκινίτης*), tertius vs. 1508 (*ἕτερος αὖ τῶν Καρκίνου*), quo puerorum numerum ternarium valde confirmari ne Hermannus (p. 5 in.) quidem potest infitiari. Verum enim vero qua vir cl. quattuor pueros tueri est conatus, ea ita demum valet ad demonstrandum ratio, si chori partem de scaena cessisse concedimus. Quod cum certis de causis negaverimus, etiam illa Hermanni ratio omnis irrita cadit.

Itaque cum tres sint Carcinitae qui saltant, tres qui cantant pueri, choreutae qui extra ordinem adhibiti sunt ternarium numerum non excesserunt. Verum Carcinus pater non ad saltandum prodit ut filii, sed *προσέρπει* vs. 1531 spectatum; quare cum ad eius personam gerendam choreuta non opus fuerit, caveamus ne patrem tragicum ipsum in parodo fabulae pueri partes easque quarti egisse existimemus; quod fecit Richterus, iniuria ille quidem quarta Carcini una cum filiis tribus persona quattuor puerorum numerum defendi posse ratus. At enim, ut iterum dicam, puerorum ille cantus nisi a choreutis extraordinariis cani non poterat, Carcinus vero pater non choreuta sed histrione (*κωφῷ προσώπῳ*) repraesentatur, cum tres eius filii choreutarum trium exercitationem saltandique usum requirant atque ita admodum verisimilem reddant etiam puerorum numerum ternarium.

---

[12]) Hermannus l. l. p. 5 ratione usus admodum ambigua vs. 262 sq. quarto puero dedit, quod persuasit nemini.

Richterus (p. 53 sqq. cf. p. 62), ut fere solet eodem tempore de eadem re sentire diversa, modo tres modo quattuor modo — inauditum refero — quattuordecim pueros taediferos chorum prosecutos esse statuit. Quidni? Verisimillimum primum esse contendit, alterum aeque verisimillimum, nec minus verisimillimum tertium! — Infeliciter eum quattuor puerorum patrocinium suscepisse vidimus, nunc quomodo vel quattuordecim suscipiat porro videamus. Quod ut exequatur proficiscitur a Carcinitis. Eos XIV numero fuisse studet demonstrare. Jam ipsius verba audiamus p. 54 *Cur igitur tres tantum cur quattuor fuerint? Illud enim Comici vs. 1513 ὅσον τὸ πλῆθος κατέπεσεν τῶν ὀρχίλων de tribus quattuorve parum apte videtur dici posse* (? [13]), *neque Comicum umquam ineptum locutum esse scimus. Quid tandem obstat, quominus eum pusionum Carcinitarum satis magnam cohortem producendam curasse censeamus?* Nihil nimirum Richterus obstare censet et obstat nihil nisi quae laudavimus ipsa verba Comici 1500—1515, quae si paullo attentius perlegisset Richterus, intellexisset tres Carcini filios ita prodeuntes commemorari, ut de pluribus cogitari omnino non posset. Quare cum non melioris notae reliquae sint ratiunculae, quibus Richterus ad coniecturam istam comprobandam utitur, eas omnes ut enumerem facilique negotio deinceps refutem non possum a me impetrare.

Iam pergo ad ipsam Hermanni distributionem percensendam. Etiam ad eam viri summi ille quem modo deteximus error redundavit atque, ut iam aliter fieri non potuit, procreavit quaedam, quae a distributione omnibus numeris absoluta videntur abhorrere. Richterus (p. 65) Hermannum reprehendit,

[13]) Avium chorus h. f. vs. 295 sq. vocatur *νέφος,* prae quo *οὐδ' ἰδεῖν ἔτ' ἔστι τὴν εἴσοδον.* Quod, etsi h. l. de quattuor et viginti personis dictum, tamen non sine quadam hyperbole usurpatum esse perspiciet qui Atheniensis theatri amplitudinem animo reputaverit.

quod aliquot choreutas bis loquentes fecerit; quod quidem per se non videtur reprehendendum esse, reprehendendum vero est, cum accedat aliud, cuius Richterus mentionem non fecit. Nam in eo parum offendo, quod eiusdem ordinis choreutae iuxta stantes atque secum colloquentes bis plusve ab Hermanno cantum alternare iubentur; velut quos Richterus commemorat choreutae septimus et octavus in vs. 248—257, tum in vs. 291—316 choreutae vicesimus primus, vicesimus alter, vicesimus tertius non semel apud Hermannum voces emittunt. Sed Hermanno longius etiam progrediendum visum est. Nonnumquam enim certae chori dispositionis rationem nullam habens ille quidem posteriorum ordinum choreutis unam et alteram personam ex prioribus immiscet interloquentes. Sic secundum distributionem Hermanni post septimum et octavum choreutam subito iterum loquitur quartus vs. 258, sic vs. 403 post duodecimum primus, post tertium decimum vs. 416 secundus, post sextum decimum vs. 430[14]) tertius, quartus vs. 437, quintus vs. 441, sextus vs. 453 locuntur; tum demum sequitur septimus decimus. Haec adduci non possum ut probem: quippe nec satis servatur dispositio chori distribuendique aequabilitas, et choreutis per ordines diversos modo hinc modo illinc cantu se excipientibus difficultates nascuntur haud exiguae, quas quam ob rem poeta eis attulerit non assequor neque Hermannus ipse exposuit. Deinde non latet causa, propter quam vir cl. in hunc modum statuere coactus fuerit. Nam qui quattuor pueris dimissis illi relinquebantur viginti choreutae non videbantur sufficere ad iustam distributionem perficiendam. Nos autem cum puerorum discessu legitimum choreutarum numerum non deminui persuasum

[14]) Hunc videlicet et vs. sqq., qui vulgo sunt Philocleonis, Hermannus ratione nulla reddita choro tribuit in diss. de choro Vesp., suo iure de huius inventi veritate ipse dubitans ut videtur post in annal. Vindobon. l. l. p. 59.

habeamus, vel propterea inde a vs. 408 ubi abeunt pueri, Hermanni discriptionem reiciamus atque ad aliam perveniamus necesse est.

Aliud quod Hermanno equidem non concesserim, iam supra paucis attigi. Etenim prima ab viris huius quaestionis peritissimis[15]) lex habetur et observatur ea, ut eisdem fere strophae atque antistrophae locis personarum vices fieri debeant. Hanc legem sat multis exemplis firmatam nil curavit Hermannus in distribuendis vs. 273—290, sed aliis str. aliis antistr. versibus personas mutatas praefixit, vel ipsis poetae verbis repugnantibus. Nam quae arte inter se copulatae sunt sententias divulsit aliisque choreutis dedit. Ita in str. vs. 274 sqq. in antistr. vs. 285 a verbis utrique loco proxime praecedentibus seclusit, indicio suadente nullo, immo dissuadente ut supra vidimus argumenti dispositione.

Verum enim vero quibus Hermanni distributionem difficilem et incredibilem reddi modo cognovimus, ea statim videntur remota esse vel prorsus non existere omnia, si, pueros a choro seiungentes chorumque integrum sumentes viginti quattuor personarum, caute pedetentimque sequimur quae supra posui mutatae personae indicia. Hac ratione vs. cum distribuo inter singulos choreutas, videor mihi loquentes reperire

I. VI choreutas sive *στοῖχον* primum in iamb. Tetr. catal. XVIII 230—247 sc. *Χοροῦ τὸν α′* vs. 230, *τὸν β′* vs. 233, *τὸν γ′* vs. 235, *τὸν δ′* vs. 240, *τὸν ε′* vs. 242, *τὸν ς′* vs. 246 (qua in parte omnino assentior Herm.).

II. VI choreutas (non VII quemadmodum Herm.) sive *στοῖχον* alterum in XXV iamb. Tetr. syncop. catal. 248—272 sc. *Χοροῦ τὸν ζ′* vs. 249, *τὸν η′* vs. 251, *τὸν ϑ′* vs. 258,

---

15) V. Bamberg. p. 16 et qui huius viri docti iudicium paullo immutavit temperavitque rectius Ahrensium in Zimmermanni ephem. antiq. stud. a. 1833 p. 269.

τὸν ι' vs. 259, *τὸν ιά* vs. 262, *τὸν ιβ'* vs. 266 (accedunt trium puerorum dicta vs. 248. 250. 254).

III. VI choreutas (non VIII quemadmodum Herm.) sive *στοῖχον* tertium in strophis 273—281 = 282—290, III choreutas in str. III in antistr. sc. *Χοροῦ τὸν ιγ'* vs. 273, *τὸν ιδ'* vs. 278, *τὸν ιε'* vs. 281, *τὸν ις'* vs. 282, *τὸν ιζ'* vs. 286, *τὸν ιη'* vs. 290 (eisdem str. et antistr. locis vices personarum fiunt).

IV. VI choreutas (non IV quemadmodum Herm.) sive *στοῖχον* postremum in strophis 291—303 = 304—316, III choreutas in str. III in antistr. sc. *Χοροῦ τὸν ιθ'* vs. 293, *τὸν κ'* vs. 297, *τὸν κά* vs. 300, *τὸν κβ'* vs. 309, *τὸν κγ'* vs. 310, *τὸν κδ'* vs. 313 (non eisdem str. et antistr. locis personarum vices fiunt, quod in stropharum utravis tres pueri illi interlocuntur).

Itaque adhuc omnes viginti quattuor choreutas semel singillatim loquentes canentesve [16]) fecimus.

Sunt credo duo, quae hac mea discriptione vel obiter eam inspicienti appareant et ut ita dicam incurrant in oculos. Primum enim apertum est, inter quattuor illas quae metri diversitate efficiuntur partes ita divisos esse choreutas, ut singulae partes singulos chori *στοίχους* contineant. Unde iam lucramur quod usque adhuc nemo pro certo affirmare

[16]) Quae locutus sit chorus et quae cantaverit multis locis licet satis sit dubium, illud tamen dubitari nequit, quin vehementer ab vero aberraverit Richterus (p. 66 cf. 72. 89) contra Hermannum disputans et chorum Vesp. inde a primis parodi verbis cecinisse statuens. Nam repugnat vs. 230—272 argumentum, repugnat metri genus, repugnat quod Richterum plane fugit ipsius poetae testimonium clarissimum. Vs. enim 270 sqq. sic chorus:

ἀλλά μοι δοκεῖ στάντας ἐνθάδ', ὦνδρες,
ᾄδοντας αὐτὸν ἐκκαλεῖν, ἤν τί πως ἀκούσας
τοὐμοῦ μέλους ὑφ' ἡδονῆς ἑρπύσῃ θύραζε

Unde et quae secuntur verba cantata, et quae praecedunt non cantata sed recitata esse luce est clarius.

ausus est vel potuit affirmare, scilicet Vesparum chorum *κατὰ στοίχους* et non *κατὰ ζυγά* fuisse dispositum. Deinde eis in partibus, quae stropham et antistropham iunctim tenent, cum soli choreutae verba faciunt, eisdem str. atque antistr. locis personae mutantur, verum non eisdem, ubi pueri chori vocibus dicta sua intermiscent. Atque tantum abest, ut casu aut fortuito facta sint vel hoc uno Vesp. loco obvia haec duo, eadem ut potius in fabulis Aristophaneis occurrant quocumque loco singulas chori personas deprehendere mihi quidem visus sum, ita ut iam pro legibus et normis videantur existimanda esse, ad quas Aristophanes ipse in choro tractando sese adstrinxerit. Quod si cuipiam aliquanto festinantius confidentiusque videbor contendisse, is volo sciat me omnes Aristophanis comoedias hoc consilio pertractasse et temporis tantum angustiis impeditum substitisse quidem in Vesparum fabula verbis illustranda. Itaque sufficiat interim duas illas leges, quae summae debent esse in distributione recte exequenda, hic proponere et extremis ut dicunt digitis attingere. Sunt igitur hae

I. Singulas partes, in quas carmina chori metro mutato discedunt, singuli choreutarum ordines sive *στοῖχοι* sive *ζυγά* in se recipiunt cantandas, ita tamen ut, si in prima parte *στοῖχος* cecinerit, aeque *στοῖχοι* canant in reliquis, sin vero *ζυγόν* canendi fecerit initium, *ζυγά* sequantur oporteat. Cuius rei causa cum haud dubie in aequalitatis studio, quo tantopere Graeci praestiterunt, ponenda sit: fructus inde percipitur uberrimus. Namque hoc usi indicio gravissimo ubivis possumus diiudicare, chorus utrum *κατὰ στοίχους* an *κατὰ ζυγά* dispositus fuerit, et quod caput est certum iam nacti sumus fundamentum, quo nisi non coniectantes sed necessariam sequentes computationem in distribuendis inter singulas personas partibus versabimur. Tametsi nihil eiusmodi professus

est vel subodoratus Hermannus, quippe quem saepius huic legi diserte illudentem vidimus.

II. Quae antistropham habent carmina eisdem fere str. et antistr. locis personarum vices admittunt, ubi solae chori personae invicem cantant, diversis vero locis ut est consentaneum, ubi aliae personae interlocuntur. Verum ubique, vel cum alterum istud evenit, par sit choreutarum numerus in str. atque antistr. oportet, qui quidem numerus modo totum chori ordinem in str. totumque in antistr., modo in str. ordinis dimidium dimidiumque in antistr. complectitur. De diverbiis, in quibus actores collocuntur cum choreutis, brevi videbimus.

Redeo unde abripi me passus sum atque ita iamiam pervenio ad diverbiorum partes percensendas; ac primum quidem vs. 334—394 aggrediar colloquium continentes illos chori cum Philocleone histrione. Qua in parte quo minus potest dubitari, quibus locis chori personae fuerint mutatae, eo magis videtur mirandum notandumque esse, quod servatur ac retinetur quam usque adhuc deprehendimus in Vespis chori *κατὰ στοίχους* disposito. Reperiuntur enim

I. VI choreutae (*στοῖχος* primus) in vs. 334—364 sc. *Χοροῦ ὁ α'* vs. 334, *ὁ β'* vs. 338, *ὁ γ'* vs. 342, *ὁ δ'* vs. 346, *ὁ ε'* vs. 350, *ὁ ϛ'* vs. 354.

II. VI choreutae (*στοῖχος* secundus) in vs. metro respondentibus [17]) parti I 365—394 sc. *Χοροῦ ὁ ζ'* vs. 365, *ὁ η'* vs. 369, *ὁ θ'* vs. 373, *ὁ ι'* vs. 379, *ὁ ια'* vs. 383, *ὁ ιβ'* vs. 387.

Itaque eisdem locis prioris partis (quodammodo str.) atque posterioris (antistr.) personarum i. e. chori et actoris Philocleonis occurrunt vices. Ceterum h. l. nostra distributio prorsus congruit cum Hermanniana.

---

[17]) De primi episodii in h. fab. responsione quam vocant cf. subtiliter disserentem Engerum in Jahn. annal. vol. 79 p. 738 sqq.

Priusquam vero ad insequens diverbium transeamus tractandum, in quo novae Bdelycleonis filii servique Xanthiae personae ad priores accedunt, singillatim agendum nobis erit de vs. 416, qui cui tribuendus sit personae ambigitur inter interpretes. Quae quidem res haud parvi momenti est in causa nostra. Ut ab aperte falsis incipiam erravit Richterus, uqi vulgatam lectionem secutus totum vs. choro dedit scripsitque in hunc modum

ΒΔΕ. ὦγαθοί, τὸ πρᾶγμ' ἀκούσατ', ἀλλὰ μὴ κεκράγατε.
416 *ΧΟΡ.* νὴ Δί' ἐς τὸν οὐρανόν γ', ὡς τόνδ' ἐγὼ οὐ μεθήσομαι.

Agitur de Philocleone, quem Bdelycleo una cum Xanthia retinet neque ad sodales Vespas aufugere patitur, chorus autem vi verbisque sibi deposcit et expetit. Nam ita rem se habere multis locis docemur. Ita chorus ad Xanthiam versus vs. 428 ἀλλ', ἀφίει τὸν ἄνδρα, vs. 437 idem ad Bdelycleonem ipsum dicit εἰ δὲ μὴ τοῦτον μεθήσεις, ἔν τί σοι παγήσεται. Bdelycleo vero servis patrem comprehensum tenentibus praecipit vs. 434 μὴ μεθῆσθε μηδενί (sc. Philocleonem). Unde liquet opinor ὡς τόνδ' ἐγὼ οὐ μεθήσομαι verba chorum certe non potuisse loqui sed locutum esse ad quem unum conveniunt Bdelycleonem. Idem sensisse suspicor Hamakerum (Mnemos. vol. III p. 46) Bergkium Meinekium sic locum distribuentes

ΒΔΕ. ὦγαθοί, τὸ πρᾶγμ' ἀκούσατ', ἀλλὰ μὴ κεκράγατε.
ΧΟΡ. νὴ Δί' ἐς τὸν οὐρανόν γ'. *ΒΔΕ.* ὡς τόνδ' ἐγὼ οὐ μεθήσομαι.

Est tamen etiamnunc quod obstat. Misere enim dilacerantur verba ni fallor. Ne ὡς quidem particula videtur habere quo referatur. Quam ita absolute positam quamquam probe scio posse aliquo modo defendi exemplis paucis ab Elmsleio ad Acharn. vs. 335 congestis,[18]) tamen hauscio an multo facilior decurrat verborum structura multoque aptior hoc certe loco sententia evadat, totum vs. si Bdelycleoni continuabimus

[18]) Sed cf. W. Ribbeck. in ed. Acharn. ad h. vs. p. 214.

atque locum sic interpretabimur: *Bdel. O boni rem ipsam audite et ne clamaveritis (per Jovem*[19]*) in coelum usque: nam hunc ego non dimittam.* Hanc rectam ni fallimur emendandi viam ingressi simul quomodo orta sit corruptela admodum probabili efficere possumus coniectura; quod non item cadit in distributionem Hamakerianam. In libris enim cum ita divisi sint vs. 416 et 417

ΧΟΡ. νὴ Δί᾽ ἐς τὸν οὐρανόν γ᾽, ἁς τόνδ᾽ ἐγὰ οἰ μεθήσομαι.
ΒΔΕ. ταῦτα δῆτ᾽ οὐ δεινὰ καὶ τυραννίς ἐστιν ἐμφανής;

iam Bentleii manus emendatrix Tyrwhittique iusto iure vs. 417 Bdelycleoni ademit atque dedit choro, quod receperunt recentiores. Nos autem praecedentem vs. 416 choro adimendum esse atque dandum Bdelycleoni intelleximus. Itaque iam est apertum, oculorum lapsu a librario permutatas esse quae singulis vs. praefigendae erant personarum notas. Aliud accedit quod gravius est sententiae nostrae adminiculum. Nam sive quam codices praebent sive in textum quam recepit Bergkius vs. 416 distributionem sequemur, in str. 405—429 atque in antistr. 463—487 hic unus vs. 416 obsistet, quominus eisdem locis chori et actorum personae mutentur. Verum etiam huic rei satisfiet nostra discriptione accepta. Studuisse autem Aristophanem vel in partibus diverbiorum sibi respondentibus dedita opera tali personarum quoque responsioni, modo supra luculentum exemplum experti sumus et docemur aliis, velut in Acharn. vs. 284—301 = 353—346 idem observatum reperies. Quamquam sibi non constare poetam hac in re libere equidem fatebor.

Sed iam redeamus in viam. Siquidem recte disputata sunt quae proposuimus, in strophis 403—429 = +[20])—487

---

[19]) Hoc obtestandi sensu istud *νὴ Δία* in adhortatione vel optatione adhibitum reperies Av. vs. 661, Ran. vs. 164. 1460, Eq. vs. 725, Plat. ap. p. 35 C a.m.

[20]) Ante vs. 463 duos chori Tetr. troch. excidisse respondentes vs. 403 et 404 W. Helbig. in Mus. Rhen. vol. 15 p. 260 acute coniecit; quam coniecturam confirmat distributio nostra.

duodecim chori personas habemus loquentes, quos cum duodecim prioribus annumeramus, iustus comici chori numerus expletus est. Habemus autem

III. VI choreutas (*στοῖχον* tertium) in str. 403—429 sc. *Χοροῦ τὸν ιγ'* vs. 403, *τὸν ιδ'* vs. 405, *τὸν ιε'* vs. 408 (v. supra indic. IV et VII), *τὸν ις'* vs. 417, *τὸν ιζ'* vs. 422, *τὸν ιη'* vs. 428.

IV. VI choreutas (*στοῖχον* quartum) in antistr. +—487 sc. *Χοροῦ τὸν ιθ'* vs. +, *τὸν κ'* vs. 463, *τὸν κα'* vs. 466, *τὸν κβ'* vs. 474, *τὸν κγ'* vs. 480, *τὸν κδ'* vs. 486.

Servantur igitur etiam hoc diverbii loco ordines choreutarum (*στοῖχοι*) secundum regulam, quam supra posui I. Nam valet eadem in diverbia quoque Aristophanea, nisi quod hic illic singulae eorum partes antistropha destitutae non unum chori ordinem sed duos tresve continent.

Verum quae in hoc ipso diverbio etiam restant tria chori dicta inter str. et antistr. posita vs. 437, vs. 441—447, vs. 453—455, dubium non est quin coryphaeo tribuenda sint, quem eiusmodi versus non antistrophicos saepius suscepisse extra ordinem, ex tragoedia notum est.

Caput alterum.

De carminibus aliquot in Ranarum fabula a partibus chori cantatis.

I.

De parodo.

Parodus fabulae nostrae imaginem praebet mystarum Eleusinem proficiscentium et Iacchum Proserpinam Cererem carminibus invocantium. Haec chori pompa ex quibusnam personis composita sit, manifesto mihi quidem apparere videtur ex tribus illis strophis 397—402 = 403—408 = 409—414. Legimus ibi haec verba Aristophanis

Ἴακχε πολυτίμητε, μέλος ἑορτῆς — στρ. α′
ἥδιστον εὑρών, δεῦρο συνακολούθει
πρὸς τὴν θεὸν καὶ δεῖξον ὡς
ἄνευ πόνου πολλὴν ὁδὸν περαίνεις.
Ἴακχε φιλοχορευτά, συμπρόπεμπέ με.

σὺ γὰρ κατεσχίσω μὲν ἐπὶ γέλωτι — στρ. β′
κἀπ' εὐτελείᾳ τόν τε σανδαλίσκον
καὶ τὸ ῥάκος, κἀξεῦρες ὥστ'
ἀζημίους παίζειν τε καὶ χορεύειν.
Ἴακχε φιλοχορευτά, συμπρόπεμπέ με.

καὶ γὰρ παραβλέψας τι μειρακίσκης — στρ. γ′
νῦν δὴ κατεῖδον, καὶ μάλ' εὐπροσώπου,
συμπαιστρίας, χιτωνίου
παραρραγέντος τιτθίον προκύψαν.
Ἴακχε φιλοχορευτά, συμπρόπεμπέ με.

Has strophas inter choreutas ita divisas fuisse contendo, ut primam stropham senes alteram mulieres tertiam adolescentes canerent. Nam senum profecto est Jacchum accire,

ut sibi ostendat quomodo longam viam sine labore conficiat (δεῖξον ὡς ἄνευ πόνου πολλὴν ὁδὸν περαίνεις) [1]; adolescentes vero unos decet puellarum pulcritudinem observare ac laudare; puellas denique ipsas, quas a latere adolescentium incessisse ex vs. 409 (παραβλέψας) patet, mediam stropham cecinisse admodum probabile est et ab Fritzschio (in ed. Ran. Turici MDCCCXLV p. 195 sq.) gravissimis argumentis demonstratum.

Quae cum ita sint iure mirari possumus, quod et Beerius (Zahl der Schauspieler p. 82) de choro hic aperte tripartito dubitanter et quasi coniectando locutus est, sententiam vero suam rationibus fulcire supersedit, et Fritzschius etiam post Beerii curas solum mulieres in secunda stropha agnovit. [2]) Ceterum uterque eorum neque de stationibus neque de numero choreutarum dixit quidquam, sed affirmare satis habuerunt illi quidem viri docti, conspici hoc loco praeter legitimum chorum etiam chorum extraordinarium nimirum mulierum. Atque hoc Beerii vel Fritzschii (de choro Ar. m. p. 9) inventum de mulierum parachoregemate ab omnibus interpretibus usque ad nostra tempora [3]) summo consensu comprobatum video. Quod num recte faciant homines docti infra videbimus; nunc primum de collocatione chori neglectam adhuc sed ad totam causam diiudicandam admodum necessariam quaestionem

---

[1]) Cf. Eurip. Bacch. vs 193 sq.

ΚΑ. γέρων γέροντα παιδαγωγήσω σ᾽ἐγώ;

ΤΕΙ. ὁ θεὸς ἀμοχθεὶ κεῖσε νῷν ἡγήσεται

et ib. vs. 66 sq.

[2]) Verum quam Engerus in Jahn. annal. vol. 77 p. 310 inscius recoxit Fritzschii sententiam priorem in comm. de choro Aristoph. mystico Rostoch. MDCCCXL p. 11 propositam, sc. mulieres tantum saltasse non etiam cecinisse, eam Fritzschius ipse iam refutaverat in ed. p. 187.

[3]) V. Kock. in ed. Ran. p. 36 et 87 ad vs. 316, Enger. l. l., Bernhardyum Gr. litt. hist. II p. 581, Agthium Die Parabase und die Zwischenakte der alt-attisch. Kom. 1866 p. 156 sq.

instituamus. Rectissime enim G. Hermannus El. d. m. p. 726 vim eius rei intellegens et simul viam in tali quaestione nobis ingrediendam praescribens *quemadmodum* — ait — *si stationes explicationesque chori quoque in loco cognitas haberemus, de carmine chorico eiusque partibus iudicare possemus, ita vicissim ex carmine de statione chori coniectura fieri potest.*

Viros igitur atque mulieres in choreutarum numero invenisse mihi videor; idque confirmatur Herculis verbis Dionyso initiatorum orgia explicantis vs. 154 sqq.

ἐντεῦθεν αὐλῶν τίς σε περίεισιν πνοή,
ὄψει τε φῶς κάλλιστον, ὥσπερ ἐνθάδε,
καὶ μυρρινῶνας καὶ θιάσους εὐδαίμονας
ἀνδρῶν γυναικῶν, καὶ κρότον χειρῶν πολύν.

Viri et seniores sunt et iuniores. Sed mulieres quoque item ex duabus, quibus constant viri, partibus constare cum matronis tum puellis vs. 444 docemur

ἐγὼ δὲ σὺν ταῖσιν κόραις εἶμι καὶ γυναιξίν.

Totus hic chorus inde a vs. 397 usque ad vs. 414 in tres partes distributus est. Mulieres medium locum inter senes et adolescentes tenere inde apparet, quod mediam stropham canunt. Ex eis puellae, ut iterum dicam, iuxta adolescentes stant. Hi enim dicunt vs. 409 sqq.

καὶ γὰρ παραβλέψας τι μειρακίσκης
νῦν δὴ κατεῖδον, καὶ μάλ' εὐπροσώπου,
συμπαιστρίας cet.

Itaque matronas ex altera parte iuxta senes vel viros stare necesse est. Habemus igitur hanc chori collocationem

	Mulieres		
Senes	Matronae	Puellae	Adolescentes

Quid autem? In carminibus choricis, quae vs. 397 praecedunt, chorus non in tres partes sicut post hunc vs., sed in duas

discedit. Id testantur hemichoria, quae ante tres illas strophas 397—414 leguntur. Has diversas partitionis rationes quomodo explanabimus, quomodo explanabimus ita ut neque certi choreutarum ordines perturbentur, et iusta ac cum argumento systematum singulorum bene congruens divisio evadat chori primum bipartita deinde tripartita?

Hemichoria si accuratius perlegimus, duplex sententiarum habitus et color nobis occurrit alacrior alter hilariorque alter gravior atque severior. In stropha quaque prorsus nihil nisi saltatio lusus iocus commemoratur in antistropha vicissim sedatior est animus et ad seria quoque versus. Jam perlustremus singula. Prima stropha (324—336) Jacchum arcessit ad choream liberam iocosam exultantem laetitia (*θρασεῖ δ' ἐγκατακρούων ποδὶ τὰν ἀκόλαστον φιλοπαίγμονα τιμάν*). Multo moderatior est invocatio Jacchi in antistropha (340—353). Vel senes — inquit hemichorus — moerorem in tanto solemnitatis splendore deponunt (*γόνυ πάλλεται γερόντων· ἀποσείονται δὲ λύπας χρονίους τ' ἐτῶν παλαιῶν ἐνιαυτούς, ἱερᾶς ὑπὸ τιμᾶς*[4]). Rursus in stropha secunda (372—376) hilaritatis omnia plena (*ἐγκρούων κἀπισκώπτων καὶ παίζων καὶ χλευάζων*). Verum in antistr. (377—381) vota fiunt pro patriae salute (*τὴν χώραν σώζειν ἐς τὰς ὥρας*), rerum publicarum quoque fit mentio (*Θωρυκίων*). In tertia str. (384—388) iterum hemichorus a Cerere precatur, ut omni tempore tuto ludere ac saltare possit (*μ' ἀσφαλῶς πανήμερον*[5]) *παῖσαί τε καὶ χορεῦσαι*). Antistropha (389—393) autem sodales monet, ne prae ioco severitatis omnis obliviscantur (*πολλὰ μὲν γέλοιά μ' εἰπεῖν, πολλὰ δὲ σπουδαῖα*), neve victoriae adipiscendae immemores sint (*νικήσαντα ταινιοῦσθαι*).

---

[4]) Cf. Eurip. Bacch. vs. 188 sq. *ἐπιλελήσμεθ' ἡδέως γέροντες ὄντες.*

[5]) Noto illud *πανήμερον*. Ceteroqui omnibus l. chorus de nocturna caerimonia loquitur (vs. 342. 371. 445) gestatque faces (vs. 313. 340. 343. 350).

Quibus igitur strophas tribuemus? Adolescentibus sine dubio. Sed nonne etiam puellis? Equidem id facere nullus dubito, neque dubito antistrophas una et senibus et matronis dare.

Ergo dividendi ratio in hemichoriis alia est atque in tribus illis strophis. In his et aetatis et sexus, in illis solius aetatis differentia ad choreutas distribuendos adhibetur. Hinc non solum probabile verum etiam necesse est, singulas chori partes *κατὰ ζυγά* fuisse dispositas et has stationes tenuisse

+	+	+	+	+	+
+	+	+	+	+	+
+	+	+	+	+	+
+	+	+	+	+	+
ἄνδρες		γυναῖκες	κόραι	νεανίσκοι	
πρεσβύτεροι			νεώτεροι		

Ita chorus in pares inter se partes primum duas deinde tres dividi potuit. Carmina autem parodi, quae hucusque tractavimus, inter chori partes ita sunt distribuenda

Ἡμίχορ. α΄ (νεάτεροι)
Ἴακχ᾽, ὦ Ἴακχε. vs. 316[6]) — στρ. α΄
Ἡμίχορ. β΄ (πρεσβίτεροι)
Ἴακχ᾽, ὦ Ἴακχε. — ἀντιστρ. α΄
Ἡμίχορ. α΄ (νεώτεροι)
Ἴακχ᾽, ὦ πολυτιμήτοις ἕδραις ἐνθάδε ναίων, — στρ. β΄
Ἴακχ᾽, ὦ Ἴακχε,
ἐλθὲ τόνδ᾽ ἀνὰ λειμῶνα cet.
Ἡμίχορ. β΄ (πρεσβύτεροι)
ἔγειρ᾽ ὦ (Meineke Vind. Ar. p. 164), φλογέας — ἀντιστρ. β΄
λαμπάδας ἐν χερσὶ τινάσσων,

[6]) Vs. 316 et 317 pone scaenam a choro cantari suspicor. Id enim suadet Xanthiae et Dionysi sermo, qui illos vs. sequitur

Ξαν. τοῦτ᾽ ἔστ᾽ ἐκεῖν᾽, ὦ δέσποθ᾽, οἱ μεμυημένοι
ἐνταῦθά που παίζουσιν, οὓς ἔφραζε νῷν cet.
Διο. κἀμοὶ δοκοῦσιν. ἡσυχίαν τοίνυν ἄγειν
βέλτιστόν ἐστιν, ὡς ἂν εἰδῶμεν σαφῶς.

Haec sunt verba non oculis cernentium sed conicientium quid agatur. Vs. demum 324 mystae orchestram intrant. Similiter Pac. vs. 60 et 62 sq. cum loquitur nondum conspicitur Trygaeus, ut ex vs. 61 et 78 patet.

Ἴακχ', ὦ Ἴακχε,
νυκτέρου τελετῆς φωσφόρος cet.

Κορ.

εὐφημεῖν χρὴ κἀξίστασθαι τοῖς ἡμετέροισι χοροῖσιν
ὅστις ἄπειρος τοιῶνδε λόγων cet.[7])

Ἡμίχορ. α' (νεώτεροι)

χώρει νυν πᾶς ἀνδρείως — στρ. γ'
εἰς τοὺς εὐανθεῖς κόλπους cet.

Ἡμίχορ. β' (πρεσβύτεροι)

ἀλλ' ἔμβα χὤπως ἀρεῖς — ἀντιστρ. γ'
τὴν Σώτειραν cet.

Κορ.

ἄγε νυν ἑτέραν ὕμνων ἰδέαν τὴν καρποφόρον βασίλειαν,
Δήμητρα θεάν, ἐπικοσμοῦντες ζαθέοις μολπαῖς κελαδεῖτε.

Ἡμίχορ. α' (νεώτεροι)

Δήμητερ, ἁγνῶν ὀργίων — στρ. δ'
ἄνασσα, συμπαραστάτει cet.

Ἡμίχορ. β' (πρεσβύτεροι)

καὶ πολλὰ μὲν γέλοιά μ' εἰ- — ἀντιστρ. δ'

---

[7]) Haec et quae infra inde a vs. 382. 394. 440 leguntur coryphaeum recitare homines docti intellexerunt. Id imprimis declarat evocatio choreutarum vs. 370 ὑμεῖς δ' ἀνεγείρετε μολπήν, 383 κελαδεῖτε, 395 παρακαλεῖτε, 440 χωρεῖτε. Libri manuscr. inepte praefigunt plerumque Ἡμιχ., et sic ed. vet. Unus Parisinus A ante vs. 382 et vs. 444 inter lineas praebet personam Ἱερεύς, quam in textum recepit Fritzschius. Quae quidem sacerdotis persona cum neque in Rav. neque in Ven. inveniatur pro coniectura librarii eam habeo sed haud ita contemnenda. Nam coryphaeus h. l. hierophantam et daduchum imitatur. Cf. schol. ad. vs. 369 τούτοισιν ἀπαυδῶ· παρὰ τὴν ἱεροφάντου καὶ δᾳδούχου πρόρρησιν, τὴν ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ. Neque audiendus Engerus l. l. p. 311, hierophantam non magis quam mulieres ab chori persona repraesentatum fuisse dicens. —

Item orgia sed Thesmophoriorum mulierum chorus celebrat in Thesmoph. 953—1000. Quod canticum tantum non eodem modo quam nostrum Ran. inter partes chori videtur distributum fuisse. Nam coryphaeus opinor est qui varia saltationis genera choreutis imperat. Huic igitur dandum 953—958. 966—968. 985—989, hemichororum vero α' 959—961. 969—976. 990—994, β' 962—965. 977—984. 995—1000; nisi etiam praestat partem illam 969—984 ita distribuisse inter hemichoros

α' 969—973a
β' 973b—976
α' 977—981a
β' 981b—984.

πεῖν, πολλὰ δὲ σπουδαῖα cet.

Κορ.

ἄγ' εἶα cet.

2 ζυγά (ἄνδρες)

Ἴακχε πολυτίμητε, μέλος ἑορτῆς — στρ. α'

ἥδιστον εὑρών cet.

2 ζυγά (γυναῖκες καὶ κόραι)

σὺ γὰρ κατεσχίσω μὲν ἐπὶ γέλωτι — στρ. β'

κἀπ' εὐτελείᾳ cet.

2 ζυγά (νεανίσκοι)

καὶ γὰρ παραβλέψας τι μειρακίσκης — στρ. γ'

νῦν δὴ κατεῖδον cet.

Longe aliter Fritzschius iudicat in ed. Ran. p. 187. Is nihil sentiens de argumenti in hemichoriis diversitate, quam certissimam esse demonstrasse mihi videor, crassa Minerva antistrophas mulieribus dat. Puellasne igitur prope tristes illas vitae humanae et reipublicae considerationes decere putat? Deinde quod caput est propter vs. 392 (*παίσαντα καὶ σκώψαντα, νικήσαντα*) vir doctus statuere coactus est, idque contra G. Hermanni praeceptum ad. Viger. p. 715 et ad Eurip. Hel. p. 163, chorum feminarum de se loquentem genus masculinum singularis numeri usurpare. Atqui hanc viri summi regulam, qua tale quid vetatur, vel ipsa rei simplicitas commendat neque Fritzschius eam debebat impugnare.

Nunc iam eo cursum disputationis nostrae deduximus, ut eis respondere possimus, qui mulieres usitatum choreutarum numerum excessisse arbitrantur. Ac primum videamus quibus haec sententia nitatur argumentis. Quorum quidem sine dubitatione pro nihilo habeo Fritzschii rationem dicentis, m u l i e r e s t r a g i c o r u m p o e t a r u m c e r t a m i n i n o n i m m i s c e n d a s f u i s s e. Quid enim? Advenit mystarum chorus, ut ipse iterum atque iterum profitetur (vs. 351. 373. 400. 440. 448), abiturus ad dearum pervigilium. Sed tamquam obstupefactus eis rebus, quae in scaena agantur, consilium illud abicit et per totam fabulam histrionum vocibus carmina sua iungit.

Quid vero mystis rei sit cum histrionibus praesertim cum Aeschylo et Euripide, nemo erit qui nos doceat. Itaque Fritzschius eodem iure dicere potuit: mystarum chorus Aeschyli atque Euripidis certamini omnino non erat immiscendus. Neque tamen ex altera parte ei sunt audiendi, qui ut nuper Agthius [8]) mystas plane desinere mystas esse affirmant. Hanc sententiam refutant Aristophanis verba s. f. fab. vs. 1525

φαίνετε τοίνυν ὑμεῖς τούτῳ
λαμπάδας ἱεράς

ubi recte scholiasta *φαίνετε λαμπάδας ἱεράς* — inquit — *πρὸς τὸν χορόν. ἀντὶ τοῦ ἀνάπτετε, ὦ μύσται.* Quomodo igitur mysticam personam chorus deponere potest, cum vestitum ornatumque suum non exuat? Nimirum e mystis Aristophanes chorum composuit fortasse eo tantum consilio, ut novo summae illius celebritatis spectaculo fabulam suam distingueret; verum de ratione, qua hunc potissimum chorum cum argumento fabulae coniungat et quodammodo conectat poetam nullo loco laborantem neque cogitantem omnino video.

Alterum argumentum inde petitur, quod plerique post Brunckium editores vs. 444 sq.

ἐγὼ δὲ σὺν ταῖσιν κόραις εἶμι καὶ γυναιξίν,
οὗ παννυχίζουσιν θεᾷ, φέγγος ἱερὸν οἴσων

choro i. e. coryphaeo chori tribuunt, quem iam antea hierophantae et daduchi munere fungi vidimus. Haec igitur locutum sacerdotem cum virginibus et mulieribus abire Fritzschius Beerius alii statuunt. Unus Dindorfius intellexit vs. modo citatis, sicut ante Brunckium fiebat, Dionysi nomen praefigendum esse. Atque idem facere equidem non dubius haereo, cum ea verba comparem, quae paullo ante idem Dionysus loquitur vs. 414 sq. [9])

---

[8]) L. l. p. 157 *Derselbe* (sc. chorus) *tritt hier nicht in seiner nachherigen Eigenschaft als der Handlung des Stücks folgender Chor auf, sondern als Chor der Mysten, eine Eigenschaft, die er später ablegt.*

[9]) Hos quoque vs. Fritzsch. de suo dat *ἱερεῖ,* sed nemini quod sciam id persuasit

> ἐγὼ δ' ἀεί πως φιλακόλουθός εἰμι καὶ μετ' αὐτῆς
> παίζων χορεύειν βούλομαι.

Talia apte conveniunt in Dionysum hilarem deum; sacerdotem autem mystarum mystas non esse derelicturum adeo per se patet, ut ineptum esset, si sacerdos diserte id asseveraret. Deinde si hoc loco coryphaeum abeuntem facimus, num in reliqua fabula chorum sine coryphaeo adstare putabimus? Itaque non defuerunt (v. Fritzsch. Kockiumque ad. vs. 354 et 394) qui duos sibi finxerunt coryphaeos alterum chori legitimi, extraordinarii alterum: hunc daduchum appellant Jacchi sacerdotem, illum hierophantam sacerdotem Cereris. At hae merae sunt hariolationes, quas nil moror. Nam ut libere eloquar quod ex mea choreutarum dispositione cum quadam necessitate consequitur: unus in Ranis chorus reperitur isque legitimus et unus igitur est coryphaeus, quem sive hierophantam sive daduchum dicas.

Quamquam audio iamiam quosdam clamitantes: Quid ergo est? Mulieresne ab orchestra abisse tu negas, cum choreutae ipsi plus uno loco affirment se ad prata Eleusinia esse abituros? Sane nego. Scio enim etiam Vesparum chorum, ut ipse vs. 240 sqq. profitetur, ad iudicium de Lachete mature habendum properare — nec tamen cedere de loco suo sed quasi immemorem huius rei totum per diem ante Philocleonis aedes morari. Scio idem chorum Avium vs. 448 sqq. dimitti domum (ἀπιέναι πάλιν οἴκαδε) — nec tamen discedere. Scio in Pace agricolarum chorum vs. 550 sqq. in agros ablegari (ἀπιέναι εἰς ἀγρόν) et paullo post ipsum tamquam abeuntem se gerere — nec tamen stare recepto sed usque ad finem fabulae manere in orchestra. Atque Pacis locum quod attinet Engerus fictum illum chori discessum sic sibi videtur bene explicare in Mus. Rhen. vol. 9 p. 573 *Der Chor befindet sich auf der Scene, wo er nicht singen und tanzen kann, er muss also auf die Orchestra zurück. Dieses*

Abgehen wird durch jene Aufforderung motivirt: Der Chor zieht auf die Orchestra, bleibt aber dort um ein Dankgebet zu singen und wird dann unvermerkt wieder in die Handlung hineingezogen. Dedita puto opera spectatores suos Aristophanes decepit. At enim non opus esse hac interpretatione non uno nomine suspecta mihi quidem, admodum vero accepta Engero (cf. Jahn. annal. vol. 70 p. 409 vol. 77 p. 310), ex ceteris quae attuli exemplis haud ita paucis apparet. Vesparum certe loco, de tali choreutarum inde ex scaena in orchestram descensu vel per se sat dubio ne cogitari quidem potest. Ad aliam rationem confugerunt Richterus ad Pac. vs. 560 (nam h. l. aliter sentit atque in proleg. p. 36) et Kockius ad Av. vs. 448 nimirum ad parachoregema eiusque abitum. Agricolas igitur atque aves plus quam XXIV usque ad h. l. in orchestra stetisse coniciunt: coniciunt non demonstrant, neque enim possunt demonstrare. Sed concedamus paullisper viris doctis in utraque fabula extraordinarium chorum et introisse in orchestram et postea eam reliquisse. Dimittuntur autem a Trygaeo omnes agricolae (555 *ἀλλὰ πᾶς χώρει πρὸς ἔργον εἰς ἀγρὸν παιωνίσας*) nec non gravis armaturae aves omnes ab upupa (nullam enim upupa excipit vs. 448 *τοὺς ὁπλίτας*): verum ex Richteri et Kockii sententia pars tantum et quidem minor pars cum avium tum agricolarum discedit. Ergo quid tandem proficitur isto interpretandi genere? Nil profecto, sed difficultas nascitur ubi nihil erat difficultatis. Et restat illud Vesp. exemplum, in quo explicando nemini hucusque in mentem venit iudicum exeuntium parachoregema accire nec veniet opinor. Est igitur ut dixi: in quattuor illis Ran. Vesp. Av. Pac. locis choreutae sicut egressuri se gerunt neque vero egrediuntur ex orchestra; et ex hoc exemplo velim discant quidam Aristophanis interpretes aliud esse rerum scriptores interpretari, aliud poetas, poetas imprimis comoediae veteris,

in qua cum multa fiunt quae minime expectes tum non fiunt quae quidem expectes in vitae quotidianae consuetudine.

Venio ad postremum Fritzschii argumentum, quod certe ex ipso Aristophane videtur afferre. Nam vs. 598 Xanthias chorum ita alloquitur

οὐ κακῶς, ὦνδρες, παραινεῖτε.

Ad haec ego: primum chorus, quemadmodum equidem eum depinxi, re vera maximam partem viros continet. Horum enim numerus dimidio maior est quam mulierum.[10]) Accedit quod profecto lexica excribere deberem, si omnes locos hic apponere vellem, quibus vox *ἀνδρός* non cum propria sexus virilis significatione usurpatur. Vs. 1125 — ut uno nostrae fabulae exemplo perfungar — Dionysus dicit

ἄγε δὴ σιώπα πᾶς ἀνήρ. λέγ', Αἰσχύλε.

Illud *πᾶς ἀνήρ* nemo opinor vertet omnes viri sed omnes vel unus quisque. Atque in eandem sententiam etiam *ὦνδρες* l. l. ab Xanthia dici existimo.[11])

Cognovimus quam infirma ea argumenta sint, quibus homines docti extraordinarium mulierum chorum ipsi tuentur atque defendunt. Accedo ad quaedam alia, quae huic sententiae possunt obici. Ac primum moneo in universum chorum extra ordinem in Atticorum re scaenica perraro usu

---

[10]) Satisfecimus igitur ex parte schol. ad Eq. vs. 589 *εἰ μὲν ἐξ ἀνδρῶν εἴη καὶ γυναικῶν ὁ χορός, ἐπλεονέκτει τὸ τῶν ἀνδρῶν μέρος καὶ ἦσαν ιγ', αἱ δὲ γυναῖκες ια'.* In quibus scholiastae verbis corruptos esse quos hodie legimus numeros *ιγ'* et *ια'*, id quidem certissimum est. Etenim XIII choreutae virili XI muliebri vestitu exornati per chori ordines (sive *ζυγά* sive *στοίχους*) non potuerunt disponi, nisi in uno eodemque ordine III aut V mulieres starent simul et virorum I: quam rem non fert Graecorum in arte scaenica studium aequabilitatis. Fallimur aut hoc nostro mystarum choro veram nacti sumus emendationem reponentes pro ΙΓ': ΙϚ' et pro ΙΑ': Η'.

[11]) Rectissime Meierus in indic. Schol. Halens. aest. 1851 p. IV f. (Op. p. 24) *nihil* — inquit — *habet offensionis sic* (sc. *ὦνδρες*) *coetus alloqui, quibus praeter viros etiam feminae intersint.*

venisse. Eum nisi summis indiciis coacti adhibere non debemus. Deinde cum in nostra quidem fabula mulieres medias inter viros stetisse demonstraverim, mira haec esset parachoregematis collocatio. Apparet enim omnibus mulieres multo facilius de statione sua decedere potuisse, si non in medio agmine sed in altero eius cornu incessissent. Postremo secundum meam carminum distributionem mulieres plura canunt quam quae parachoregemati, cuius est pauca canere aut loqui, tribuere possimus. Itaque commentum illud de parachoregemate mulierum plane est abiciendum.

Paullo aliter atque vulgo fit de hac re G. Hermannus iudicavit in censura Beerii (Annal. Vindobon. vol. 110 p. 66). Nam mulieres certum numerum choreutarum excessisse negat quidem vir cl., sed eas orchestram reliquisse retinet eoque choreutas illos in viros transformatos redisse contendit. At et mulieres remansisse in orchestra ostendi neque de reditu virorum ullum verbum in Aristophane possum invenire. Paucis igitur ut comprehendam quae sentio: chorus mystarum utriusque sexus et omnium prope aetatum personas complectens usque ad finem fab. unus atque idem est.

Quae porro secuntur inde a vs. 416 civium male ominatorum cavillationes iniuria ab universo choro cani vulgo putantur. Id statim ipsum initium carminis declarare potest. Quam enim est incredibile quam absurdum, t o t u m chorum ita sese alloqui

βούλεσϑε δῆτα κοινῇ [12])
σκώψωμεν Ἀρχέδημον;

[12]) Perverse E. de Leutschius in Philol. Suppl. I p. 139 haec verba ad Dionysum et Xanthiam a choro dici putat. Hos enim nondum videt chorus, ut patet ex vs. 431 sqq. ubi demum Dionysus chorum alloquitur. Vs. autem 414 sq. Dionysus et Xanthias non ad chorum versi locuntur, ut Leutsch. contendit, sed secum (beiseit). Cf. etiam vs. 337 sqq. et vs. 315. Ceterum sciens praetermisi Kockii opinionem ad vs. 414 et distributionem carminis 416—436 apud Fritzschium atque Engerum l. l. p. 311.

Quid? Omnes choreutas una loquentes se evocare credemus, ut omnes una loquantur? Tales ineptias nemo mihi quidem persuadebit.

Cognitum est ab viris doctis,[13]) carmine hoc Eleusiniorum *γεφυρισμούς* et comoediae etiam prima elementa contineri. Quocum mirum in modum concinet, si coryphaeum hic *ἐξάρχοντος* vices suscepisse statuerimus. Is ternis vs. cives illudendos proponit et ipse eos illudere incipit, chorus totidem vs. coryphaei sententias excipit continuat ad finem perducit. Itaque carmen choricum in hunc modum distribuendum propono

Κορ. *βούλεσθε δῆτα κοινῇ*
σκώψωμεν Ἀρχέδημον,
ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτορας;

Χορ. *νυνὶ δὲ δημαγωγεῖ*
ἐν τοῖς ἄνω νεκροῖσι,
κἀστὶν τὰ πρῶτα τῆς ἐκεῖ μοχθηρίας.

Κορ. *τὸν Κλεισθένη δ' ἀκούω*
ἐν ταῖς ταφαῖσι πρωκτὸν
τίλλειν ἑαυτοῦ καὶ σπαράττειν τὰς γνάθους.

Χορ. *κἀκόπτετ' ἐγκεκυφώς,*
κἄκλαε, κἀκεκράγει
Σεβῖνον, ὅστις ἐστὶν ἀναφλύστιος.

Κορ. *καὶ Καλλίαν γέ φασι*
τοῦτον τὸν Ἱπποβίνου
κύσθου λεοντῆν ναυμαχεῖν ἐνημμένον.

Διο. *ἔχοιτ' ἂν οὖν φράσαι νῷν*
Πλούτων' ὅπου 'νθάδ' οἰκεῖ;
ξένω γάρ ἐσμεν ἀρτίως ἀφιγμένω.

Κορ. *μηδὲν μακρὰν ἀπέλθῃς,*
μηδ' αὖθις ἐπανέρῃ με,
ἀλλ' ἴσθ' ἐπ' αὐτὴν τὴν θύραν ἀφιγμένος.

Jam vero perspicuum est, quibus aliis rationibus nostra chori ordinatio commendetur. Constat enim (v. Bamberger. Op. p. 4) Graecorum poetas scaenicos plerumque vitasse, ne totius

[13]) V. Welcker. Vers. Ran. p. 137, G. Herm. Op. VII p. 220, C. O. Müller. in Mus. Rhen. 1837 5 p. 345, Fritzsch. de choro Ar. myst. p. 87 sq. Ed. Ran. p. 197, al.

chori concentus uni actori colloquio responderent sed ita instituisse, ut in commis singuli choreutae cum singulis actoribus colloquerentur. Huic legi, quae vulgo h. l. neglegitur, a nobis satisfactum est. Adde quod nisi hac nostra carminis distributione explicari non potest,[14]) qui fiat ut, cum chorus Archedemum et Clisthenem senis vs. derideat, Calliae deridendo tres vs. tribuat. Nimirum postquam coryphaeus vs. 430 loqui finivit et silentium paullisper factum est, priusquam chorus respondere possit, Dionysus coryphaeum alloquitur. Verum universi chori concentus Dionysus non potuit interrumpere.

Postremo in fine parodi redit divisio chori in duos hemichoros iuniorum ac seniorum. Id facile intelleget qui argumentum extremi huius cantici considerarit. Eius enim stropha (448—453) iterum socios excitat ad ludum et iocum, antistr. (454—459) autem solos initiatos et homines pios ac religiosos deis acceptos esse monet. Hanc procul dubio viri et mulieres (*Ἡμ. β'*), illam adolescentes et puellae (*Ἡμ. α'*) canunt.

II.

De hexametris fabulam finientibus.

Vs. 1525 sqq. Pluto choro mystarum imperaverat, ut Aeschylum victorem poetam ipsius Aeschyli carminibus celebrantes ab inferis in lucem prosequerentur, his verbis

προπέμπετε
τοῖσιν τούτου τοῦτον μέλεσιν
καὶ μολπαῖσιν κελαδοῦντες.

Itaque qui quidem hoc Plutonis mandatum insecuntur sex chori hexametros Aeschylo vindicare vel quodammodo Ae-

---

[14]) Itaque Meierus l. l. p. XIV (Op. p. 41) *Chorus .. tres nunc cives vellicat .., priores quidem duos binis iambicis periodis aequalibus, tertium una tantum periodo, nisi altera per librariorum socordiam intercidit.*

schyleos reddere, et veteres laboraverunt et laborant nostri aevi interpretes. Nam scholiasta ad vs. 1528

πρῶτα μὲν εὐοδίαν ἀγαθὴν ἀπιόντι ποιητῇ

sic annotat *ταῦτα δὲ παρὰ τὰ ἐν Γλαύκῳ Ποτνιεῖ Αἰσχύλου· εὐοδίαν μὲν πρῶτα ἀπὸ στόματος χέομεν.* Huc Berglerus addit vs. 1530

τῇ δὲ πόλει μεγάλων ἀγαθῶν ἀγαθὰς ἐπινοίας

quocum comparat Eum. vs. 909 sq.

εἴη δ' ἀγαθῶν
ἀγαθὴ διάνοια πολίταις.

Visa haec res est pulcre procedere. Fritzschius igitur et numeros dactylicos, quibus delectetur poeta tragicus, et totum dicendi genus Aeschylum redolere statuit et fortasse ea ipsa re Aeschyli imitationem contineri putat, quod nostro loco mystae, sicut in extremis Eumenidibus Areopagitae, *πρόπομποι* sint atque egredientes cum carmine et facibus comitentur. Multas sane habes propositi explicationes sed nullam prorsus, in qua iure acquiescere possis. Nam tali interpretandi ratione Plutonis verbis clarissimis (*τοῖσιν τοὐτου τοῦτον μέλεσιν καὶ μολπαῖσιν κελαδοῦντες*), quae dubitationem nullam admittunt, non satisfieri quis est qui neget? An Aristophanem paucas illas atque leviusculas verborum Aeschyleorum usurpationes, quas quaesitas esse nequaquam insuper necesse est (cf. Kock. ad vs. 1526), spectatoribus suis pro carminibus Aeschyleis venditasse credes? Denique tantum abest ut propempticum carmen in honorem Aeschyli chorus canat, ut in quattuor extr. vs. nullam eius mentionem faciat, sed de rebus longe aliis de patria pacanda de eiciendo Cleophonte loquatur; tantumque abest ut *πρόπομποι* sint mystae, ut non sicut mystae ex Orco egredientes sed tamquam cives Athenienses sese gerant. Id si non ipsa Aristophanis verba, certe scholiasta Fritzschium docere debebat ad vs. 1531 *παυσαίμεθ' ἂν* haec praebens *τὸ παυσαίμεθα ὁ χορός, διότι τῷ μὲν*

δοκεῖν ἐν Ἅιδου ἦν · τὸ δ' ἀληθὲς Ἀθήνησιν, ἔνθα ἐτελεῖτο τὸ δρᾶμα.

Quae cum ita sint, iam non nimis audaces nobis videmur esse, cum hexametros fabulam nostram finientes Aeschyli carmina, quae quidem Pluto dixit, negamus esse. Jam vero aliae accedunt causae gravissimae, quae hos vs. cantatos et ab universo choro cantatos esse, ut vulgo arbitrantur interpretes, dissuadent atque vetant. Nam in omnibus quae memoriae nostrae sunt traditae et comoediis et tragoediis hic unicus locus esset, ubi canerentur [15]) hexametri *κατὰ στίχον*. Immo systemata *ἐξ ὁμοίων* non a toto choro canuntur sed recitantur a partibus chori. Quam rem G. Hermannus demonstravit in praef. Eurip. Suppl. p. XVIII, El. d. m. p. 729 eumque secutus Bambergerus l. l. p. 9. Itaque nostros quoque hexametros a coryphaeo, cuius interdum est finire fabulam, recitatos esse existimo.

Carmina vero Aeschylea, ad quae Pluto chorum evocavit cantanda, auribus non percipiebantur a spectatoribus, sed imaginationi eorum relinquebantur, non secus atque ipsum Aeschylum ex inferis Athenas proficiscentem oculis non videbant spectantes. Quod qui scaenam Atticam bene noverit, non miraturum esse probe scio. Et factum est idem apud Aristophanem [16]) in fine Acharn. (*ἀλλ' ἑψόμεσθα* . . .

---

[15]) Rossbach. et Westphal. III p. 29 *Nur einmal finden wir stichische Hexameter in einer melischen Stelle, nämlich in dem Processionsgesange am Schlusse der Ranae; wahrscheinlich bilden hier die alten hexametrischen Prosodien das Vorbild des Aristophanes.* Verum hanc virorum doctorum coniecturam, qua difficultatem sibi videntur removere, propterea probare non possum, quod ut supra ostendi carminis nostri argumento prope nihil eorum continetur, quae *προσοδίῳ* contineri necesse est. Negavi enim et semper negabo hexametros illos carmen propempticum esse.

[16]) Apud Sophoclem cf. Phil. fin.

ᾄδοντες) et Pluti (δεῖ γὰρ κατόπιν τούτων ᾄδοντας ἕπεσθαι), quos vs. extremos item dux chori loquitur. Utroque enim loco promittuntur quidem carmina propemptica nec tamen audiuntur.

Quo in praecedentibus paginis Ranarum et Vesparum tractavi chorum, eodem modo ac consilio omnia omnium fabularum Aristophanearum carmina chorica perquirere et nostra lingua illustrare studui partim partim studebo. Quorum quidem studiorum meorum, quantulacumque ea sunt, particulas electas spes est in annalibus philologicis propediem udituras.

Vita.

Carolus Davides Richardus Arnoldt Gumbinnae die XXVI mensis Novembris anni h. s. XLV natus sum patre Julio gymnasii regii Gumbinnensis directore matre Aemilia e gente Hilbert, quorum utrumque colo adhuc vivum. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis a parentibus imbutus adii gymnasium in urbe patria, quod illo tempore directore Hamann florebat. Autumno anni LXIV maturitatis testimonio instructus per annum in universitate Fridericia Guilelmia Rhenana philologiae studiis operam navavi. Deinde Lipsiam transmigravi magistrum secutus dilectissimum Fridericum Ritschl, per quem exercitationibus societatis philologicae Lipsiensis interesse licuit. Anni LXVI vere in patriam reversus hanc almam Albertinam adii academiam, cuius civis fui per quinquies sex menses. Auscultavi autem intra quattuor illos annos hos viros doctos Bonnae: Ritschl Jahn Schaefer Springer Schaarschmidt Merz Maurenbrecher, Lipsiae: Ritschl Curtius Eckstein Brockhaus, Regimonti: Lehrs Friedländer Schade Ueberweg Nitzsch. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratam semper pientissimamque servabo memoriam.